TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0766**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache
Latine

758
a
777

Muratori - Vitae Patriarcharum Aquilejensium
Auctore anonymo - Circiter annum 1358

766

Chronicon Patriarcharum Aquileiensium

(cfr. n. 763-767)

ex apographo Saeculi XIV
extante in Bibliotheca Seminarii Utinensis

Trascritta dal detto Apografo nell'Aprile
dell'anno 1889 per lire 6:50

Chronicon Patriarcharum Aquileiensium.

BIBLIOTECA COMUNALE UDINE

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Post ipsius sacratissimam ascensionem ad patrem, omnes apostoli missis sortibus per mundi clymata ad predicandum verbum per quod omne genu flectitur celestium terrestrium et infernorum et in quo salvamur et sumus dispersi sunt. Et licet beatissimo principi apostolorum Petro data fuerit super universatem ecclesiam atque ligandi et solvendi in celo et in terra plena potestas spiritus tamen sanctus ubi vult spirans eumdem apostolorum principem una cum coapostolo eius Paulo super quos velut super firmas bases ecclesia sancta fundata est Romam deduxit ubi iidem apostoli miraculis et doctrinis predictam ecclesiam sub Nerone sevissimo illuminaverunt. Quorum discipulus beatus Marcus evangelista qui ab ore Petri evangelium scripsit ex precepto dicti Petri ad urbem aquilegiam famosissimam caput Italie pontificatus ab eodem Petro accipiens baculum venit. Et per plures annos verbum ibi salutis predicans et affirmans cum apostolo quoniam hic est Christus evangelium propria manu scripsit quod hodie in aquilegensi ecclesia omnibus volentibus quia tale lumen sub modio poni non debet sed super candelabrum ut luceat omnibus demonstratur. Et sic primus predicator in aquilegia fuit beatus

Marcus evangelista qui predicationis sue rugitu infinitis populis ad fidem christi conversis et iam fundata ecclesia vultum Petri magistri sui videre desiderans et ad Romam populum occulte dimittere satagebat; sed Dei intuitu vociferante populo et petente pastorem ab omni turba beatus Hermacoras in pastorem gregis dominici electus est. Tunc dictus Hermacoras iter cum beato Marco arripiens Romam pervenit et a beato Petro baculum accipiens pontificatus et velamen sacrum suscipiens ~~[illegible]~~ prothoepiscopus provincie Italie ordinatus et super omnes ecclesias Italie primatum obtinuit. Et reversus ad urbem aquilegiam ecclesiam suam miro componens moderamine seniores et levitas ordinavit quos ad civitates alias Italie trasmittebat. Tandem .XX. annorum ab ipsius ordinatione decursu curriculo ommissis eius sanis operibus et in miraculis gloriosis que in legenda declarantur ipsius sub Sevasto preside in predicta urbe aquilegia et Nerone monarchiam gubernante per diversa genera tormentorum cum sancto Fortunato archidiacono suo decollatus aquilegensem ecclesiam sacro martyrio decoravit. Premittens ad palmam nobiles sacratissimas virgines Eupheniam, Dorotheam Teclam et Erasmam quas propriis manibus baptizavit. Hee virgines post christi passionem prime per martyrii palmam immaculato agno sua corpora tradiderunt que in ecclesia aquilegensi cotidie gloriosis coruscant miraculis. Huyus sancti presuli precibus aquilegensis provincia est ab invasione demonum liberata, nec aliquis de hac provincia ubicumque fuerit a demonio vexari potest nec periclari morsibus scorpionum.

Cui beatissimo prothopresuli successit beatus Hellarius Patriarcha qui sibi comissum populum in fide christi verbo confortans et opere expletis ordinationis sue annis X sub Numeriano principe una cum Taciano archidiacono suo et aliis tribus Dionisio Illario et Felice bonum certamen certantes coronam gloriosa martyrio consummarunt.

Hellario successit Grisogonus Patriarcha qui completis annis decem sue ordinationis mirifice rexit ecclesiam.

Grisogono successit Theodorus Patriarcha qui plenus bonis operibus migravit ad Christum post novem annos ordinationis sue.

Agapitus Patriarcha sedit annis XIII Fortunatus Patriarcha sedit annis XV Valerianus Patriarcha sedit annis XVIII Benedictus Patriarcha sedit annis XXV	Hii omnes licet sub magnis infidelium persecutionibus, fidelium tamen auxerunt ecclesiam eorum sacris predicationibus et exemplis.

Post hos successit beatus Cromatius Patriarcha doctor mirificus contemporaneus egregii et primi doctoris ecclesie beati Jeronimi quem Cromatium idem Jeronimus natus oppido Stridonis in dominio ecclesie aquilegensis sito inter viros illustres commemorat et in quadam epistola sibi scribit domino suo Cromatio beatissimo Episcopo aquilegensi. Hujus tempore floruit etiam Rufinus presbiter aquilegensis doctor eximius qui librum de

istoria scolastica composuit et multos alios de Greco et ebraico transtulit in latinum multas quoque epistolas direxit Jeronimo et Jeronimus sibi. Sedit annis XVIII et plenus bonis operibus migravit ad Christum.

Cromatio successit Augustinus Patriarcha qui post annos XVIIII ab ordinatione sua aucto populo Dei cum sanctis in pace quievit.

Adelphus Patriarcha sedit annis VIIII.
Maximinus Patriarcha sedit annis XX.
Januarius Patriarcha sedit annis VIII.
Secundus Patriarcha sedit annis III.

Niceta Patriarcha sedit annis XXXII cujus tempore regnante secundo Theodosio augusto circa annum Domini CCCCXXV Attila flagellum Dei cupiens sibi Romanum imperium subjugare et debellatus a Romanis quibus aderebant fere omnes populi occidentis ubi occisa fuerunt CLXXX milia hominum reversus est Pannoniam et resumptis viribus iterum intravit Italiam. Et primo veniens in Forumiulij destruxit omnes munitiones Foriiulij, primo castrum Foriiuliense quod nunc Civitas austria appellatur, et obsedit urbem Aquilegiam tribus annis. Et collem ubi nunc est castrum Utini pro sui tuitione manualiter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus per trium annorum obsidionem infra quod tempus multa millia hominum Aquilegensium occisa sunt, Aquilegiam cepit et destruxit, dictam Civitatem inhumaniter jugulando, deinde ad partes alias Italie progrediens civitatem Concordiam, Altinum quod nunc Tarvisium, Oppitergium, Patavium et

alios multos delevit. Tandem precibus beati Leonis papae primi idem Attila extinctus est.

Post Attilae necem sedit in Aquilejensi sede Marcelianus Patriarcha annis XXVIII. Hujus tempore Zeno Romanum fastigium gubernabat. Odoacker Ruthenorum dux occiso quodam augusto qui Romanum imperium invadere praesumpserat Romam ingreditur et totius Italiae per XIIII annos obtinuit principatum. Quem Theodoricus Rex Gothorum ad Italiam properans cui dictus Odoacker occurrit cum innumerabili exercitu juxta Aquilejam in campis uberrimis debellavit.

Post Marcelianum, Marcelinus in sedem instituitur Patriarchalem, quam rexit annis XV et non modicum tempore Anastasii augusti reformavit ecclesiam et urbem Aquilejensem quam propter invasionem Attilae invenit plurimum deformatam et quasi totaliter destructam.

Stephanus sedit annis XII. Hic sub Justino christianissimo Imperatore et Theodorico regnante in Italia, qui erat Arriana infectus haeresi et Arrianos protegebat multa pro fide catholica perpessus est. Sed Christo protegente non solum ecclesiam sed totam provinciam a peste hujusmodi liberavit.

Macedonius Patriarcha successit vir clarus et pius qui Justiniani augusti assumptis temporibus vitam ducens laudabilem et per provinciam Italiae peragrans, fratres mirabiliter in Christo confortabant. Tandem post annos

XXVI ab ordinatione sua felici pace quievit.

Huic successit Paulus gloriosus antistes tempore Justini Imperatoris secundi, cujus tempore Longobardi a Narsete patricio ducti Italiam intraverunt, quorum istoriam Paulus istoriographus, qui fuit natione Civitatensis diligentius scribit. Et dicit Longobardi primo in Forumiulii intrantes civitatem Aquilegiam que tunc castrum Foroiuliense dicebatur depopulaverunt et totaliter destruxerunt. qualiter autem et quomodo et quid de ducissa filiis et filiabus accidit et cuius inductu Longobardi Italiam intraverunt, ipsa declarat istoria. Hic Paulus Patriarcha timore eorundem Longobardorum ductus cum thesauro et reliquiis ecclesie ad Gradum insulam se contulit, quam novam Aquilegiam appellavit. Et ibi XII pontificatus sui anno vitam finivit.

Probinus Paulo successit qui uno anno apud Gradum vixit.

Helias Patriarcha sedit annis XXII. Hic quia tria capitula Calcedonensis concilii suscipere noluit, tamquam hereticus reprobatus est. Sed Pelagius papa secundus eidem misit epistolam satis utilem quam beatus Gregorius dum adhuc esset cardinalis scripsit. Tunc Helias ab errore revocatus de predicti papa Pelagii consensu XX episcoporum sinodum convocavit et Gradensem insulam que ut predictum nova Aquilegia appellata fuit totius Venetie instituit esse Metropolim, ad cuius robur Eraclius augustus devotione ductus beate Marie sedem quam quondam Helena

mater Constantini tulerat de Alexandria Aquilegiam direxit ut ibi hactenus veneraretur apud Sancti Hermacora sedem ubi primo predicaverat Verbum Christi: Venetia quippe duo sunt, prima est illa qua in antiquitatum istoriis continetur, qua a Pannonie termino usque ad flumen Danubii in qua etiam Istria completitur protellatur; cujus Aquilegia olim civitas famosa caput existit qua etiam caput Italie vocabatur. Secunda Venetia est qua apud insulas maris Adriatici ex collectione populorum primam Venetiam propter rabiem Attile et deinde Longobardorum infra aquas fundata est.

Severus Patriarcha successit Helia apud Aquilegiam novam et XV annis sedit, quem Smaragdus patricius nolentem Ravennate Episcopo adherere cum tribus coepiscopis de Grado violenter abstrahens cum iniuria Ravennam duxit compellens eundem Severum dicto Ravennate episcopo in tribus damnatis capitulis a papa Pellagio adherere. Sed iusto Dei iudicio Smaragdus patricius a demonio correptus Constantinopolim remeavit. Severus vero expleto anno uno ad Gradum cum tribus coepiscopis rediens non est receptus a populo nec sibi voluerunt alii episcopi communicare quia errori Ravennatis Episcopi communicaverat. Sed convocata Synodo X episcoporum in Marano, idem Severus dans erroris sui libellum, a fratribus benigne in Patriarcham receptus est. Episcopi autem qui dicte Synodo interfuerunt sunt hii: Petrus de Altino, Clarissimus de Sabiona, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Orancius Vincentinus, Laurencius

Bellunensis, Rusticus de Tarvisio, Fonteius Feltrensis, Angelus Cenetensis, Maxencius Juliensis et Adrianus Polensis. Cujus etiam tempore seviente adhuc multitudine Longobardorum et imperante Mauritio Augusto fames maxima et mortalitas per universam Italiam fuit.

Post obitum Severi Johannes abbas cum consensu regis et Agiulfi ducis Foroiuliensis in Patriarcham in Aquilegia veteri ordinatur. In Grado quoque Candianus caput scismatis a Romanis instituitur. Candiano defuncto apud Gradum, Epiphanes non sine scismate ordinatur et ex tunc incepit nominari Patriarcha Gradensis, qui Epiphanes erat primicerius notarius Romanorum.

Marcianus Patriarcha sedit annis VIIII.
Fortunatus Patriarcha sedit annis III.
Felix Patriarcha sedit annis XIIII.-
Johannes Patriarcha sedit annis VIIII.
Johannes Patriarcha sedit annis X.
Petrus Patriarcha sedit annis XIII.-

Sezlaus Patriarcha sedit anno uno. Et nota quod a Severo Patriarcha usque ad Calixtum qui sequitur, Patriarche propter incursionem Romanorum non audebant stare in Aquilegia sed habitationem sibi elegerant in Cormons.

Sublato itaque de medio Patriarcha Sereno, ei successit Calixtus vir egregius ecclesie Tarvisane archidiaconus qui annitente Luidpran ad Regem Longobardorum regimen ecclesie

Aquilejensis suscepit. Hoc tempore in castro Forojuliano quod nunc civitas austria appellatur, Pemmo dux preerat; Calixtus vero in Cormons inhabitabat de consensu et voluntate ducum priorum, Fidentius in castro Forojuliano episcopus instituitur, ipso vero decedente, Amator subrogatur et in episcopum ordinatur. Calixtus autem qui erat vir egregius et nobilitate conspicuus, videns quod in diocesi sua cum duce et nobilibus Amator episcopus habitaret et ipse Calixtus rurali vulgo sociatus vitam duceret, valde sibi displicuit et ad predictam civitatem veniens Amatorem de Foroiulii expullit atque domum illius habitationem statuit. Qua de causa magna inter Calixtum Patriarcham et Pemmonem ducem discordia orta est. Quid plura dux Pemmo contra Patriarcham cum multis Longobardis nobilibus consilium iniit, et apprehensum eumdem patriarcham ad castellum Pucinum super mare ut ipsum submergerent duxit, quod Deo prohibente non fecit. Tamen ipsum diebus pluribus tribulationis pane in carcere sustentavit. Quod Rex Luitprandus audiens contra Pemmonem ducem in iram exarsit et de ducatu deposuit. Pemmo timore regio in Sclavorum patriam cum suis fugit. Rex vero dicti Pemmonis filios et omnes qui Pemmoni adheserant longo tempore carceribus cruciavit. Post hec Patriarcha ad civitatem rediens, ibi ecclesiam et baptisterium sancti Johannis atque palatium patriarchale construxit et Regis suffultus favore ecclesiam strenue gubernavit. Post hec vero XL ordinationis sue anno felici pace quievit, cujus corpus in predicta, quam construxit, ecclesia, requiescit.

Sigualdus Patriarcha de genere Grimoaldi regis sedit annis XXII. Hic natione civitatensis ibi habitavit et ecclesiam prospere gubernavit.

Sanctus Paulinus Patriarcha sedit annis XV. qui finito iam regno Longobardorum et in captivitatem ducto Desiderio ipso rege una cum uxore et filiis ad gloriosum Carolum magnum Imperatorem pro iuribus ecclesie ampliandis profectus est. Et vir iste mire sanctitatis ab Imperatore Karolo privilegia valde pulcra obtinuit. Et rediens in civitatem austriam multis in vita miraculis claruit et in morte, cuius corpus in predicta civitate quiescit et veneratur.

Ursus Patriarcha sedit annis V. Hic primus cepit proclamationem facere de Grado insula plebe synodali iure subiecta aquilegensi ecclesie in qua quidam Venerus sibi Patriarche nomen usurpaverat.

Maxentius Patriarcha sedit annis XXVI ad cuius preces beatus Eugenius papa et Lodovicus Imperator ad instanciam Lotharii filii dicti Lodovici universalem Synodum Mantue celebraverunt. In qua eodem Maxentio proclamante quod quidam Venerus sibi falso nomen patriarche in Grado insula plebe ecclesie aquilegensis usurpaverat et retracta huiusmodi causa per dictam Synodum declaratum fuit Gradum esse plebem synodali iure ecclesie aquilegensi subiectam, deposito Venerio antedicto.

Andreas sedit annis decem. Hic similiter de plebe (Gradensi rectius) ( ) aquilegensi ad Lotharium Imperatorem proclamationem fecit. qui Lotharius

una cum Leone papa vocato concilio iterato adiudicavit Gradensem plebem ecclesie aquilegensi.

Venancius patriarcha sedit annis III.

Theudmarus patriarcha sedit annis XXI. Hic sub predicto Lothario et demum Ludovico eius filio ecclesiam mirabiliter gubernavit et pro Gradensi plebe reclamavit et a Lodovico obtinuit in Papia.

Lupus patriarcha sedit annis III. Hic similiter a predicto Lodovico in protectionem susceptus est.

Valepertus patriarcha sedit annis XXVII. Hic Karolum secundum filium Ludovici coronatum a papa Johanne VIII Rome sociavit.

Fridericus patriarcha sedit annis LIII. Hic mirabiliter rexit et protexit ecclesiam. Cujus tempore imperante Karolo III qui dictus fuit Grossus, Hungarorum gens a Scythia egressa in Pannoniam que adiungitur finibus ecclesie aquilegensis primitus venit et eiectis Avaris, ibi habitare cepit. Erat enim gens crudelissima carnem comedens humanam et sanguinem bibens pro potu; quos dictus Fridericus patriarcha repressit et longius effugavit, reddens pacem Papie que est caput Italie. Corpus ejus in Aquilegia requiescit et super sepulturam ipsius tale scriptum est epitaphium:

Conditur inferius nitido patriarcha lapillo
Preclarum nomen cui Fridericus erat.
Hungrorum rabiem magno moramine pressit

Fecit et Experiam pacis habere bonum.
Egregius pastor nitidos dum pasceret agros
Semper utrique (sic) gregi pabula leta dedit.
Hunc Deus omnipotens proprio ditabit honore
Post hanc angelicis consociando choris.
Tu quoque precursor Christi Baptista Johannes
Pontifici meritis auxiliare tuis.

Leo Patriarcha sedit annis XXII. Hic quia pro libertate ecclesie laborabat a quodam Rodaldo Longobardo dicto Soriculi occisus est; quo omnia eius bona ecclesie per sententiam principum confiscata fuerunt ut inferius patebit.

Ursus Patriarcha sedit annis XXIII. Hic tempore Berengarii secundi totus Deo deditus multas gerens sollicitudines et labores pro ecclesia Aquilegensi in civitate Austrie feliciter quievit et fuit circa annos VIIII^{c}. XVIII.

Lupus Patriarcha sicut in antiquis cronicis reperitur sedit annis LVI. Sed non ita reperitur in privilegiis autenticis cum Berengarius III qui fuit anno domini VIIII^{c} XXXI multa privilegia concesserit Patriarche Hengelfredo, nec non Rodaldo successoribus suis et largas fecerit donationes.

Hengelfredus Patriarcha quanto tempore sederit non est certum, sed quod Berengarius et Otto primus multa privilegia ecclesie Aquilegensi tempore istius contulerunt invenitur.

Rodaldus almifinus Patriarcha nobilis genere sed nobilior opere pro exaltatione ecclesie ubique laborans ab Ottone secundo et III plures gratias et largitiones obtinuit et inter cetera quicquid quidam

Longobardus nomine Rodaldus qui Leonem Patriarcham interfecit, de quo fecimus mentionem superius, habebat inter Slavum et Liquentiam ecclesie Aquilegensi contribuit.

Johannes Patriarcha sedit annis XVIIII. Hic ab Ottone III plura privilegia habuit et de Grado insula in qua erat quidam Urso nomine Patriarcha proclamavit et deinde coram Henrico primo (secundo rectius) Imperatore qui Henricus Sanctus appellatur cujus uxor fuit beata Cunigundis.

Popo venerabilis Patriarcha sedit annis XXIIII. Hic cancellarius magni Conradi Imperatoris qui totum orbem pacificavit in Patriarcham assumptus est. Iste gloriosus antistes templum Aquilegensis ecclesie de novo construxit, quod una cum beato papa Johanne XVIIII et aliis sancte Romane ecclesie cardinalibus et aliis episcopis suffraganeis ~~consecravit~~ consecravit. Monasterium sancte Marie extra muros Aquilegie construxit et tam templum quam monasterium mirabiliter ditavit. Innumerabilia bona ipse ecclesie fecit que brevitatis causa ommitto. Hic apud predictum Johannem papam et Conradum Imperatorem fieri Rome concilium procuravit et demum Ravenne in quorum utroque proclamatione facta de Grado plebe sua et citato Ursone qui sibi falso nomen Patriarchale usurpaverat et contumaciter in dictis duobus conciliis non comparente dicta insula adiudicata est plebs ecclesie Aquilegensis, et falso patriarchatus titulum ibi inesse et procurante eodem omnes thesauri ecclesie qui parati (portati rectius) fuerant per Paulum Patriarcham reportati sunt per Poponem.

È dubbio se sia nel codice un e od un a.

Jacet in ecclesia Aquilegensi in medio et vere in medio ecclesie ~~apparuit~~ apparuit Dominus eius, in cujus

sepultura hii versus leguntur:

Popo sacerdotum lux et decus ecclesiarum
Gloria Romani spes simul imperii
constructus virgultis humane conditionis
Ecce sub hac mole fit cinis ex homine.
Instruit ut Paulus fuit omnibus omnia factus
Ferre studens domino dupla talenta suo.
Hic locus est testis quibus ipse resplenduit actis
Ille quidem donis moribus atque probis
Ecce manus istam christo fundavit aulam
ultima principia quem dedit hora sua
In libra Phebo duodena parte locato
Agne Dei vivi sub te sopor quiete inventi.

Huic etiam beatus Papa Johannes super XVI episcopatus potestatem tribuit una cum prefato Imperatore et multa alia privilegia et immunitates largiti sunt ecclesie aquilegensi que nimis prolixum esset narare per singula.

Heberardus patriarcha sedit annis V. De hoc nihil invenitur dicendum.

Gothepoldus patriarcha sedit annis XVII. qui etiam de Gradensi insula proclamationem fecit. cui tam per Alexandrum Papam II quam Henricum Imperatorem III dicta insula adiudicata est. et per utrosque est data potestas super XVI episcopatus videlicet . . . . . .

Hoc Gothepoldus iacet miser in monumento
Hic presul dictus nomine non merito
Sed quia mortalis me peior non erat ullus
Fili christe dei nunc miserere mei.
Ora pro famulo sancta Maria tuo
A morte perpetua libera me domine
Lux mihi sit requies crux mihi sancta salus.

Ravengerus patriarcha sedit annis IIII.

Sygheardus patriarcha sedit annis VIIII. Huic Henricus III dedit marchiam Carniole et alia multa privilegia concessit et confirmavit. Iste etiam Henricus dedit Sygheardo predicto et ecclesie Aquilegensi per eum regalia XVI Episcopatuum quod Urbanus papa II etiam confirmavit. Qui Urbanus fuit anno domini MLXXXXVIIII.

Henricus sedit annis VI

Fridericus sedit anno uno.

Vodalricus patriarcha sedit annis XXXVII. Hic Voldaricus cum Henrico Imperatore IIII Romam vadens pro ipsius coronatione, propter aliquam dissensionem inter Paschalem papam et ipsum Henricum Paschalis cum Cardinalibus capitur et ipse patriarcha in custodia traduntur. Tandem factis compositionibus Henricus coronatur et post aliquod tempus procurante dicto Patriarcha pax firma inter papam et imperatorem facta est, propter quod idem imperator multa privilegia aquilegensi ecclesie concessit et concessa confirmavit.

Gerardus Patriarcha sedit annis VIIII. Hic de villa Premarini apud Civitatem Austriam fuit. Bonis operibus plenus in Civitate predicta migravit ad Christum.

Pelegrinus Patriarcha sedit annis XXXI. Tempore istius fuit Henricus secundus in aquilegia. Huius etiam tempore Lotharius a papa Innocentio secundo coronatur, cui coronationi interfuit idem Pelegrinus et de regalibus fuit ab ipso Imperatore honorifice investitus.

Pelegrinus Patriarcha sedit annis XXXI. Hic cum Conrado II imperatore cruce signatus ad predicationem beati Bernardi circa annum domini MCXXXVIIII una cum rege Francie mare transivit et rediens cum eodem expletis vite sue diebus in aquilegia migravit ad Christum.

Gotefridus patriarcha sedit annis XXII. Hic de Regali prosapia ecclesiam et totam provinciam mirabiliter honoravit, ditavit et auxit. Huius tempore Fridericus primus anno domini MCLIII per Adrianum papam IIII est coronatus in Imperatorem

Vodalricus patriarcha sedit annis XX. qui legatus apostolice sedis factus et Imperatoris Friderici primi consanguineus tam ab adriano IIII et alexandro tercio confirmationes privilegiorum obtinuit. Huic etiam dictus Fridericus omnia privilegia imperialia et regalia confirmans marchiam Istrie et carniole, ducatum et comitatum Foriiulii et multa alia loca et castra et terram inter Plavim et Liquentiam iacentem concessit et per alios Imperatores et reges concessa confirmavit. Dedit etiam ecclesie aquilegensi de Imperiali largitione montenditiis cum omnibus suis apendiciis, et post reconciliationem factam inter alexandrum III et dictum Imperatorem, ipse alexander fecit dictum Vodalricum patriarcham per totam Italiam suum vicarium generalem. Hic duplici legatione scilicet papali et imperiali decoratus est. Iacet in aquilegia in cuius monumento scripti sunt isti versus.

Alter Vodalricus iacet hic Patriarcha benignus
Fluctibus illesam sismatis ecclesiam
Rexit ditavit, fratres nos ipse beavit
Cum iustis maneat gaudia possideat.

Pelegrinus secundus sedit annis XIIII. Iste rehedificavit ecclesiam Civitatis que cum omnibus libris et thesauris suis exusta fuit, fecitque tabulam argenteam et alia mirabilia clenodia auro argentoque contexta in ecclesia predicta et eam multis bonis ditavit, sed pulcriorem fecit in ecclesia aquilegensi que pignorata longo tempore per incuriam pastoris fuit Venetis, quam (sic) isti veneti hodie servant pro precioso thesauro. Iste primo cepit contrahere amicitiam et pacta cum Venetis

Volkerus patriarcha beatus sedit annis XIII. Hic ab Henrico V et Ottone IIII confirmationes privilegiorum obtinuit et coram eis et etiam coram Friderico II marchionatum Istrie quem dux quidam Bavarie Ludovicus nomine tenebat per principum sententias obtinuit et resignatione facta per dictum ducem de hujusmodi marchionatu, per omnes tres imperatores successive investitus est dictus Patriarcha de dicto Marchionatu. Cui etiam Otto predictus Montemsilicis donavit. Hic multa sanctitatis opera in vita sua fecit, que Deus post eius mortem ostendit. Nam eius archa marmorea in aquilegensi ecclesia in aere pendebat visibiliter stans circumquaque per quatuor digitos super terram; nunc autem uno angulo terram tangit modicum, aliis angulis minime terram tangentibus.

Bertoldus patriarcha sedit annis XXIII. Iste filius ducis Meranie patruus fuit beate Elizabet que fuit filia regis Ungarie, cujus beate Elizabet mater fuit soror dicti Patriarche Bertholdi. Hic archiepiscopus Colocensis existens

ad Patriarchatum assumptus est. Qui Friderico
secundo adherens usque ad eius depositionem
multos honores, multa privilegia et gratias
obtinuit ab eodem. Multa bona una cum patre
2 et matre ecclesie contulerunt (sic) et potissime in
Carinthia et Marchia et Carniola, cui predictus
Imperator etiam Montemsilicis inter alia con-
cessit et tradidit. Huius tempore Ezelinus de
Romano tyrannidem exercebat, et licet idem
Bertoldus indignationem eo quod adherebat Fri-
derico sedis apostolice incurrisset ad Roma-
nam Curiam cum magna comitiva Baronum
et nobilium [sic] Et ibi magnalia ostendens ab In-
nocentio IIII ~~glorioso~~ gratiose susceptus gratiam et be-
nedictionem obtinuit. Et rediens de curia Ro-
mana post aliquod tempus multa dimittens de
proprio patrimonio ecclesie feliciter quievit.
Iacet in introytu ecclesie infra ecclesiam. Ut
dicitur quod cum primo ecclesiam intravisset ubi
est monumentum ipsius cespitavit fortiter et
statim dixit: Hec requies mea etc. Hic etiam
Civitatem Austrie muris ampliavit. Fecit
etiam ecclesiam beati Odorici in Utino.

Gregorius de Monte longo patriarcha sedit annis
XVIII. Hic factus patriarcha per Innocentium
IIII anno domini MCCLIII venit ad ipsam ec-
clesiam. Hic antequam esset assumptus ad pa-
triarchalem dignitatem existens notarius pape
missus fuit legatus contra Fridericum iam depo-
situm qui Parmam obsidebat. Parmenses vi-
dentes auxilium sibi paratum egredientes et
idem Gregorius una cum Parmensibus exercitum
Friderici agressi sunt et spoliis acceptis ipsum
Fridericum cum exercitu suo non sine magno
dampno et obprobio expulerunt. Hic gloriosus

antistes multa laudabilia operatus est, multas gueras
pro libertate ecclesie sue cum comitibus Goricie et
Tyroli perpessus est et tandem ecclesiam suam
potenter protexit. Mortuus est in civitate austrie
quam intime diligebat, cujus corpus iuxta corpus
sancti Paulini sepellitum anno domini MCCLXVIIII
et eodem anno electus fuit Philippus dux Kar-
inthie quem dominus Gregorius X confirmare no-
luit, sed factus fuit generalis capitaneus ecclesie
aquilegensis et vacavit sedes IIII annis. Hujus
tempore capta fuit civitas austrie proditorie per
Fridericum de Pinzano vicarium dicti Philippi faven-
tibus sibi fere omnibus castellanis et nonnullis
intrinsecis et expulsi fuerunt fere omnes boni po-
pulares et alii capti bona abstulerunt. Sed eo
anno rex Boemie vassalus ecclesie aquilegensis
habens ad hoc feudum speciale pro redemptione
ipsius civitatis misit vicarium suum cum magno
exercitu qui civitatem obsedit eandem quia
Deus superbis resistit. Intrinseci proditores ad pac-
tu venientes terram in libertate propria et pristina
restituerunt.

Raymondus patriarcha sedit annis XXV. Hic existens
episcopus Cumanus factus est in patriarcham per
dominum Gregorium X anno domini MCCLXXIII. Iste
in adventu suo cum Alberto comite Goricie pa-
cem fecit, sed modicum duravit. Anno domini
MCCLXXVII accessit ad illustrem dominum Ro-
dulphum regem Romanum et habito colloquio
cum eodem ad propria est reversus. Et quia
Veneti ceperunt occupare terras Istrie incepit
gravem gueram facere cum eisdem que gue-
ra incepit anno MCCLXXXIII de mense Ma-
ii fere XI annis. Hoc tempore Veneti obsi-
debant Tergestum et fecerant terram unam

unam insulam Pergestum quam nominaverunt Romagna. Ipse vero Patriarcha cum exercitu suo valido veniens eos debellavit, spolia tullit et Romagnam destruxit. Tandem anno Domini MCCLXXXXI pax facta fuit et proclamata. Mortuus est autem in castro Utini et portatus Aquilegiam ac sepultus in cappella Sancti Ambrosii anno domini MCC nonagesimo nono.

Petrus patriarcha sedit annis I et menses VII. Hic licet magnanimus fuerit antiquus aevum modicum supervixit. Iacet in Utino in cappella Sancte Marie in castro Utini anno domini MCCC primo.

Ottobonus patriarcha sedit annis XIII. qui existens episcopus Paduanus factus fuit patriarcha per dominum Bonifacium VIII anno domini MCCCII. Hic mirabiliter et fortiter regere cepit, multa debita solvit Romane Curie, (fecit) Salinas Marani, cepit Mensparanum et precio emit Sauletum primo anno quo venit. Hujus tempore anno domini MCCCV Rizardus de Camino cum exercitu valido expugnavit Spegnimberch et habuit sub certis pactis. Anno domini MCCCII idem dominus Ottobonus cepit castrum Budrii fortissimum et bene munitum gentibus et victualibus; sed iusto iudicio dei mirabiliter captum est, nemine leso de nostris, et omnes intrinseci capti facti sunt. Eodem anno obsedit castrum Porpeti sed illi de Castello venerunt ad misericordiam domini patriarche et posito vexillo ecclesie in castello ad propria est reversus. Eodem anno obsedit castrum de

— Altezza Carta

— Altezza scritto

— Larghezza carta

— Larghezza scritto

Il Codice della presente Cronaca Patriarcale, esistente presso il Seminario d'Udine è cartaceo e contiene oltre il detto Chronicon Patriarcharum Aquileiensium in 8 fogli, lo scritto: Vita et Miracula B. Bertrandi Patr. Aquil. — Il volumetto è alto centim. 28 e mezzo e largo centim. 23 1/2. — La scrittura occupa 23 1/2 centimetri in altezza e 15 e 1/2 in larghezza. — Porta il N.° 626 del Catalogo provvisorio. La carta di questo Chronicon ha la marca di un arco colla freccia all'insù.

appariscono tagliati due fogli del detto Chronicon, ma la numerazione continua.

In calce alla Vita e Miracoli del B. Bertrando, leggesi:

"Et ego Anthonius filius q.m D. Francischini de Tebaldis de Regio Utini habitans publicus imperiali auctoritate notarius omnia quae in hoc quaterno sunt scripta fideliter scripsi et exemplavi prout in alio quaterno mihi dato a ~~...~~ Ven. viro ser Zanato can. Utinensi olim capellano B. Bertrandi inveni, nihil addens nec minuens, quia a predicto d. Zanato rogatus fui"

La Vita et Miracula B. Bertrandi è scritta su carta colla marca di un sudo. — in 8 fogli —

Urunò? (sic)

Urimisperiit et ipso anno recuperavit Sacilum detentum per Rizardum de Camino. anno Domini MCCCVIIII destruxit muros Venzoni. Eodem anno dominus Rizardus fuit debellatus in Utino et illo de Spegnimberch interfectus et multi alii nobiles captivati, et multa alia fecit quae causa brevitatis ommitto et anno domini MCCCXIIII vadens ad curiam infirmitate detentus .

. . . . (reliqua desiderantur)

Trascrizione fatta da Codice cartaceo in folio, scritto poco dopo la metà del secolo XIV dal notaio Antonio q. D. Franceschino de Tebaldis di Reggio, abitante in Udine. Il Codice suddetto è posseduto dal Seminario di Udine e proviene dal legato Cernazai. – Udine 15 Aprile 1889.

Chronicon Patriarcharum Aquileiensium.

BIBLIOTECA COMUNALE UDINE

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Post ipsius sacratissimam ascensionem ad patrem, omnes apostoli missis sortibus per mundi clymata ad predicandum verbum per quod omne genu flectitur celestium terrestrium et infernorum et in quo salvamur et sumus dispersi sunt. Et licet beatissimo principi apostolorum Petro data fuerit super universalem ecclesiam atque ligandi et solvendi in celo et in terra plena potestas spiritus tamen sanctus ubi vult spirans eundem apostolorum principem una cum coapostolo eius Paulo super quos velut super firmas bases ecclesia sancta fundata est Romam deduxit ubi iidem apostoli miraculis et doctrinis predictam ecclesiam sub Nerone sevissimo illuminaverunt. Quorum discipulus beatus Marcus evangelista qui ab ore Petri evangelium scripsit ex